

417  
FACULTATIS MEDICAE  
IN ACADEMIA LIPSIENSI

H. T.

PROCA NCELLARIVS  
D. IOANNES CHRISTOPHORVS  
P O H L I V S

PATHOLOGIAE P. P. ORD. FACULTATIS MEDICAE  
ET COLLEGII B. M. VIRGINIS SENIOR ACADEMIAE

DECEMVIR COLLEGII MAI. PRINC. COLLEGA

ET H. T. PRAEPOSITVS PHYSICVS PROVINC. ET

ACADEMIAE IMPER. N. C.

SODALIS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XIV. IVLII A. R. S. MDCCLXXV

INDICIT

ET

*De pericardio cordi adhaerente  
eiusque motum turbante*

DISSERIT.

Anat.

A.

32,30

Dis. anat. 629



THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO





DE PERICARDIO  
CORDI ADHAERENTE  
EIVSQUE MOTVM TURBANTE

**Q**uicumque de corporis humani machina recte et accurate cognoscenda praeceperunt, eiusque cognitionis consequendae viam ac rationem demonstrarunt, eos hac mente imbutos fuisse reperimus, vt putarent, non tantum singularum illius partium, fluidarum aequae ac solidarum, structuram et indolem, situm porro et vim usumque a disciplinae medicae aemulis diligenter animaduerti debere, sed praecipue etiam admirabilem illum nexum et quasi vinculum iis curiose considerandum esse, quo quaelibet fere partes coniunctae inter se copulataeque teneantur. Neque vero quisquam extare videatur, qui in dubitationem



#### IV

nem adducere, vel adeo negare audeat, hanc inprimis notitiam corporum humanorum necessariam atque vtilem esse, quae circa arctissimam illam coniunctionem et quasi conspirationem, singulas eorum partes intercedentem, versetur, et, quid vitii in ea interdum obseruetur, et veluti a regula stata aberret, in promptu habeat. Et enim inter omnes, rei medicae non plane ignaros, satis superque constat, ab ista connexionione et cohaerentia partium non modo valetudinem et incolumitatem corporum pendere, sed etiam, ea adiuuante, actiones vitales, animales et naturales eo constantius exerceri, et sua quemque negotia tanto maiori cum facilitate, constantia atque oblectamento peragere posse:\*) cum contra ea, turbato vel plane sublato isto nexu, perimultae noxae et offensiones corpori adferantur, quae sine illius notitia neque intelligi satis, neque remoueri prudenter possint. Quum vero omnis hominum vita, vti sensu, ita et motu maxime contineatur; facile apparet, earum praecipue partium combinationem atque cohaerentiam accurata cognitione dignam esse, quas excitando augendoque motui destinatas videamus. Quam quidem functionem etsi vulgo maxime adscribere solemus musculis, tunicisque muscularibus et tendineis, arterias ac nervos venas in se continentibus: non minori tamen iure eandem motus adiuuandi perficiendique vim tribuere debemus partibus membranaceis,

a) vid. HERMANNI BOERHAVII instituti: medic. pag. I. §. I.



naceis, ad similitudinem linteae vel chartae expansae structis, atque inter se mirifico modo coniunctis. Hae nimirum, quia non tantum organa et viscera, in cavitatibus reperiunda, ambiunt, verum etiam partes durissimas circumcingunt, atque periostrium in partibus ossibus efficiunt, hunc utique usum praestant, ut et sensum excitent, et motum producant, simulque in visceribus quibusdam ligamenta constituent, ne forte ea, quae subsint, e sede sua moveri, vel alia ratione laedi possint. In capite quidem dura mater, quae est membrana robustior et crassior, maximam partem ex fibris tendineis composita, <sup>b)</sup> cranio eundem in modum superius laxius, inferius arctius iungitur, atque cum subiectis partibus reliquis laxae cohaeret, ut cerebrum non minus quam cerebellum tanquam in involucre retineatur, ne motus fortiores, qui capiti interdum inferantur, substantiae corticali et medullari damnum aliquod afferre possint. Similem vim usumque aliae etiam partes membranaceae praestare solent, cuius explicationem, quia res haud ignota, vel intellectu difficilis est, iam non ulterius prosequemur. Neque magis videtur esse necessarium, de variis figuris multum commemorare, in quas istae partes membranaceae formari soleant, cum neminem lateat, eas texturam tenuem in se continere, eaque indole diversis mutationibus obnoxias esse. Venarum

A 3

quidem

b) confer. PACHIONI de dura matre et RVYSCHII Thes. V. tab. II. f. 4.



quidem in capite duplex genus reperiri constat, alterum earum, quae in ipsa cerebri substantia incipiunt, humores colligunt, eosque ad alterum genus venarum reducunt, quae in sic dictis sinibus, a duplicaturis membranae durae factis, serpunt, quos a figura triangularem, sagittalem, siue longitudinalem et laterales, forma circumflexi Graecorum insignes, c) vulgaris consuetudo appellat, vnde sanguis regrediens in venas iugulares dimittitur. d) Pia mater, membranam arachnoideam in superficie externa in se continens, itemque cerebrum, cerebellum et medullam oblongatam firmiter inuoluens, simul in sulcos, anfractus et plicas se insinuat, vasaque sanguifera sustentat, vt sufficiens copia liquidi siue sic dictorum spirituum in cerebro secerni queat. Interdum vero propter tenuitatem atque deficientem elasticitatem fieri solet, vt in hydropicis membrana illa laxior reddatur, serumque eo citius in interstitia penetrare valeat.

Eiusmodi damna etiam in thorace, et quidem in pleura, totum thoracem inuestienti, possunt exoriri, quae durante statu sanitatis omnem thoracem firmat et lubricat, vt actiones vitales rite perfici queant. In statu morbofo autem saepenumero variae laesiones eius reperiri

c) RIDLEY defendit Sinum quartum a regione glandulae pinealis, qui fere inferatur, vbi illi tres concurrant.

d) ORTLOB in oecon. animal. figura I. it. VIEVSSENS in Neurographia. RVYSCH. in epistol. VII. IX. XII. et in Thes. anat. variis in locis. LOWER. de corde Tab. VI.



periri solent, vti sectiones anatomicae clare nobis indicant. Pleura est membrana laevis, robusta, tensa et musculis intercostalibus adhaerens, totamque thoracis cavitatem cingens, e duobus quasi sacculis composita, quorum vterque alterutrum thoracis latus inuestit, idemque singulum lobum pulmonis continet. Ex horum autem coniunctione in medio thoracis mediastinum oriri scimus, quod e duplici lamella eaque valde vasculosa componitur, quae vasa copiosissima RYSCHEM detexisse, notum est. \*) Quam ob causam in vasis minimis, impedito sanguinis motu, et imminuta huius membranae elasticitate, fatales interdum stagnationes et inflammationes excitantur, quas pleuritis vera et spuria obseruare nos iubet. Neque minus graua mala subinde in iis corporibus existere nouimus, in quibus lobi pulmonis non libere mouentur, sed alterutri laterum pleurae adhaerescunt. Tunc enim expansione loborum impedita accidit, vt aer atmosphaericus nec rite intrare, nec se dilatare possit; quo fieri solet, vt inspiratio et exspiratio turbetur, adeoque praecordiorum anxietas sentiatur. Accedit vt plurimum tussis, quae quidem aliquid excutit, sed sine leuamine, cum iustae et salubres excretiones propter motum irregularem non recte fecernantur.

Sed paullo propius accedamus ad eam tractationem, quam in hac scriptiuncula vel maxime nobis proposuimus,

e) confer. RYSCHEM, epistol. II. Tab. II. f. 1.



## VIII

mus, quamque ad pericardium, eiusque cohaerentiam cum corde pertinere volumus. Nimirum uti organa et viscera, actionibus vitalibus destinata, suis quaeque partibus membranaceis circumcinguntur, ita etiam cor circumdatum reperitur pericardio, ut id in situ suo retineatur, atque diastole et systole sine impedimento procedant. Est vero hoc pericardium, uti in scholis anatomicorum traditur, nihil aliud nisi sacculus membranaceus, in parte media et infima thoracis inter duo pulmonis lobos situm suum occupans, et cor laxè includens, figura conoidea, eaque cordi analoga praeditus, atque ex membranis duabus compositus, exteriori altera, quae ipsi cum mediastino et pleura communis est, altera vero interiori, quae propria ei est, et appellatur. In hac membrana lubricitatem, ab humoribus ex foraminulis siue poris stillantibus oriundam, deprehendimus, ipsumque pericardii liquorem ad humectationem cordis praestandam, motumque eius adiuuandum percommode inferuire, ita clarum et certum est, ut nulli dubitationi vel coniecturae alii locus relictus esse videatur. Quum vero huius membranae structura et indoles admodum tenuis sit, facillime fieri potest ac solet, ut ista cum partibus proxime adiacentibus cohaerentiam praeternaturalem, eamque valde molestantem et incommodam contrahat. Huiusmodi connexionis irregularis exempla non tantum in corporibus hecticorum, cultro anatomico subiectis, subinde reperta sunt



sunt <sup>f)</sup> sed etiam in aliis aegrotis, qui paullo grauioribus morbis laborauerant, post fata ad dissectionem vocatis, obseruatum est, pericardium lateribus cordis in variis locis ita adhaesisse, vt adhibito cultro anatomico separari debuerit.

Mihi quidem eiusmodi exemplum obuenit, quod, cum propter res circumstantes admodum memorabile videatur, hoc loco in medium proferre liceat. Est vero hoc exemplum feminae septem et quinquaginta annos natae, quae ante biennium febre intermittente quartana laborauerat, eaque superata lassitudinem haud exiguam in omnibus fere corporis partibus perpetuo sentiebat, respiratione sensim sensimque imminuta. Istud malum primo ab initio erat mitius, adeo vt varia resoluentia leniora beccica non sine effectu adhiberentur. Temporis autem progressu illud maiora indies augmenta capiebat, et vnus anni spatio inspiratio itemque exspiratio difficilior reddebatur. Inde anxietas praecordiorum tanta existeret, vt, quo se verteret aegrotata, saepius nesciret. Nec minus tussi eadem vexabatur, non tam graui et crebra quidem, qualis asthmaticorum esse solet, sed leniori, et mucum subinde excutiente. Irregularis et palpitans cordis motus in partibus exterioribus finistri lateris per vestimenta obseruari

f) vid. GONEY chirurgie pag. 339 et COLVMB. de re anatomica.



## X

uari poterat: simulque pulsus irregularis, semper fere cum intermissione quadam uti, in aneurysmate et hydrope pectoris fieri solitus, neque antispasmodicis, assidue, datis villo modo cedens, perpetuo continuabat. Tempore autumnali, nec minus frigore vel pluvia, molestiam corpori afferente, difficultas respirandi eum in modum augebatur, ut haud parum periculi imminere videretur. Aluus non semper, sed tantum per intervalla obstructa erat, lenisque diarrhoea accedebat. Aerem haustum ipsa diutius retinere non poterat, adeoque respiratio et difficulter succedebat, et breuiter durabat. Maxima vero irritatio a mutationibus aeris frigidi, et a spiritibus volatilibus, itemque a situ peruerso in lecto, nec non a potu frigido et calido exoriebatur, ut pectus pressione atque dolore afficeretur. Medicus antea arcessitus praeter laxantia, resoluentia antispasmodica adhibuerat, cum ille, nescio cur, solum abdominis spasmus causam huius morbi esse, sibi persuasisset. Tum vocatus ego ista quidem non plane neglexi, sed parcius usurpanda existimaui, simulque cum iis pressionem per lintea, sibi inuicem superimposita, in regione apicis cordis coniunxi, quibus effectum est, ut dolor leniretur, et nimis anxia respiratio paullisper cessaret. Ita misera vnum circiter mensem aegrotata vitam adhuc trahebat. Priusquam enim eam finiebat, omni quiete noctu atque interdium carebat, nec somno vel breuissimo frui poterat, sed sibilos perpetuo edebat.

Omnia



Omnia medicamenta, exceptis iis, quorum paullo ante mentionem feci, propter causas morbi incognitas, nihil auxilii atque leuaminis afferebant. Quamquam enim semper putaueram, sedem huius mali maxime in cauo pectoris quaerendam esse, cum hoc signa, quae sese constanter proderent, praecipue vero actiones vitales, magnum in modum cohibitae, non obscure indicarent: idem tamen dubius et anceps haerebam, neque certo definire poteram, vtrum hydrope pectoris solum, an simul aneurysmate femina ista laboraret. Instituta igitur post feminae mortem corporis sectione, lobi pulmonis flaccidi apparebant, nulla vero vlcera in iis obseruabantur. In sinistro latere lobus pulmonis longitudine quinque digitorum transversalium pleurae adhaerebat. Interna pleurae lamina durior et quasi callosa facta erat, itemque pars quaedam lobi pulmonis ipsius callosa deprehendebatur, in quo loco expansio lobi pulmonis sinistri maxime impedita, et respiratio difficilior reddita fuerit. Triplici in loco pericardium cum substantia cordis firmiter concretum erat, et quidem circa eius basin sinistri lateris in superficie superiori, vbi aorta ex ventriculo posteriori egreditur, quae quidem valde dilatata reperiebatur. Porro pericardium firmiter adhaerebat aortae, quae cohaesio a margine cordis posteriori vsque ad anteriorem, quatuor digitos lata sese extendebat. Haec itaque pericardii cohaesio praecipua causa videtur extitisse,



titisse, quae in ista aegrotata motum cordis non modo irregularem, mox celeriozem, mox inordinatum redderet, sed maximam quoque praecordiorum anxietatem, et difficillimam respirationem efficeret.

Cuiusmodi adhaesionis pericardii alia quoque exempla in cadaueribus, ad theatrum anatomicum allatis, subinde obseruavi, in quibus in media superficie conuexa, nec minus concaua pericardium ad similitudinem oboli adhaerebat. Sed quoniam de istis exemplis nihil adeo praeterea mihi compertum est, quod ad huius vel illius morbi notitiam exinde amplificandam, vel sanationem adiuuandam conferri posset; separatim de iis differere non attinet. Per hanc vero opportunitatem non possum non alia quaedam exempla similia, ad praxin admodum vtilia et cognitu digna commemorare, non illa quidem a me ipso obseruata, sed tamen ad argumentum, de quo in hoc libello breuiter agere institui, illustrandum et confirmandum idonea. Primum vero esto exemplum viri, in cuius cadauere obseruatus est pulmo, lobo sinistro carens, cuius locum cor occupauerat, ita vt hoc in medio eius cavitatis, quam lobus ille replere solet, libere suspensum esset; vnde in isto viro, adhuc viuento, nullus motus cordis vnquam percipi potuerat. Pericardium in ipso adeo expansum apparuit, vt sinistra pectoris cavitatis illo, tanquam altera pleura, obducta esset, adhaerente vbique pericardio ad veram pleuram per contextum fibrosum  
laxum.



laxum. Lobus pulmonis deficiens in pus abierat, quod partim inter pericardium illud monstrosum et pleuram, partim in tubo membranaceo continebatur, qui vna cum trunco aortae vsque ad arterias emulgentes descendebat, atque in saccum, ouo gallinaceo mole aequalem, definebat. Iste vir vitam ad quinquaginta quinque annos protraxerat, per quindecim extremos aetatis annos astmaticus fuerat, tandemque acutum dolorem sinistro in pectoris latere conquestus, in febrim ardentem cum conatu vomendi incidit, quo morbo, per violentum remedium emeticum aucto, periit <sup>g</sup>). Alterum exemplum praebeat nobis BOERHAAVIUS, qui in obseruationibus anatomicis proponit obseruationem valde memorabilem, de pericardio in cadauere quodam cum corde ita concreto, vt, qui non satis curiose omnia perquisiuerit, facile in hanc suspicionem incidere possit, qua sibi persuadeat, pericardium plane abesse. Idem cultro anatomico elephantem dissekans, adhibitis varii generis adminiculis demonstrare conatus est, in hoc etiam pericardium non vere abesse, sed id cum corde tantummodo concretum absentiam fingere. <sup>h</sup>)

Huc etiam pertinent ea, quae Illustr. HALLERVS de liquore pericardii, interdum in granula, fungos et squa-

B 3

mas

g) vid. Commentar. de rebus in scientia naturali et medicina gestis Volum. VII. pars II. pag. 253.

h) vid. commentarii de rebus in scientia naturali et medicina gestis Volum. I. pars II. pag. 233.



## XIV

mas cogi solito scribit, quibus cordis externa superficies horreat, aut demum in crustam, cordi adhaerentem, coeat. Cui rei ut fidem ille faciat, varia exempla commemorat, partim pericardii, globulis et granulis pleni, partim cordis, crusta purulenta obducti, vna cum simili cortice tuberculoso in pericardio. Meminit etiam cordis scabri, eminentiis asperi, quibus cum pericardio cohaesisset. Interdum quoque fieri observavit, ut liquor pericardii in fila et laminas abeat, cordique ita adhaerescat, ut omnino pilosum videatur, cum isti pili nihil aliud sint, nisi liquor facci, cor complexi, qui in fibras praeter naturam fingatur.\*) Neque minus idoneis observationibus ibi demonstratum est, ex aqua pericardii paullo magis inspissata haud raro vitiosam telam cellulosam nasci, quae aut aliquam tantum pericardii partem ad cor reuinciat, aut totum omnino pericardium vniat. Ex laudatis vero ibi exemplis apparet, vitiosam eiusmodi cohaesionem pericardii cum corde maxime in heceticis, hydropicis, pleuriticis atque haemoptoicis animaduersam fuisse<sup>i)</sup>. Inprimis pericardio inflammato accidere docet experientia, ut cordi vndique concresecat; vnde etiam pericardium omnino tunc deesse anatomici existimarunt. COLVMBVS quidem discipulum quendam se dissecuisse scribit<sup>k)</sup> fac-

pius

i) confer. Illustris HALLERI Element. Physiolog. Tom. I. libr. IV. sect. I. pag. 285 seqq.

k) De re anatomica libr. XV. pag. 265.

\*) Pertinet huc quoque Excell. ROSE progr. obseru. de corde villosa sistens.



pius in syncopen delapsus, eaque etiam mortuum, in quo ille pericardium plane abfuisse existimat, cum haud dubie id cordi sic accretum fuerit, vt ab hoc non facile distingui posset. Sicuti autem pericardii inflammati, ita et scirrhosi, et paruis abscessibus pleni, cohaesio cum corde subinde reperitur: quam in rem memorabilis est FREINDII, Medic. celeberr. obseruatio<sup>1)</sup> de pericardio eiusmodi a se viso, quod in toto suo ambitu quartam pollicis partem crassitie aequaret, et tam firmiter cordi accretum esset, vt nullibi sine laceratione separari posset. Sed nunc huic qualicumque tractatiunculae finis imponendus, et consilio satis faciendum est, quo praesentem prolusionem in lucem conspectumque emittere debuimus. Indicenda scilicet est solemnitas inauguralis, qua summis in arte Medica honoribus ordo noster ornandum decreuit

## V I R V M

PRAENOBILISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM

C A R O L V M F R E Y

BACCALAVREVM MEDICINAE DIGNISSIMVM

Qui assiduo multos per annos studio in id incubuit,  
vt accuratam noticiam tum aliarum doctrinarum et ar-  
tium

1) In libro, qui inscribitur History of physic part 2. pag. 89. Plura in hanc rem possunt legi in Ill. van SWIETEN commentar. in aphorismos BOERHAAVI Tom III. pag. 79. seqq.



tium, tum praecipue medicinae sibi compararet, quae summos in hac honores ferret. Quod quam vere dixerimus, e commemoratione rerum, ad studia vitamque eius spectantium, apparebit, quam nunc pro more addemus. Nempe Clar. Candidatus noster natus est anno huius saeculi trigesimo octavo, die vigesimo quinto Augusti in pago Lusatiae superioris prope *Lauban*, *Fridrichsdorff* dicto, ubi eum IOANNES, Mercator haud ignobilis, e IOANNA ELISABETHA, nata HAUDIA, suscepit, quam ante aliquot annos ereptam sibi dolet. Anno aetatis tertio vna cum parentibus Lipsiam delatus, eorumque cura fidelissima idoneis hic praeceptoribus commissus est, a quibus non modo doctrinae Christianae initia, verum etiam literarum bonarum elementa percepit. Pro qua quidem institutione ut illis pueritiae suae ducibus, ita praecipue b. MÜLLERO, HEROLDO et FRIDEMANNO, artium Magistris, gratissimum animum testificatur. Horum enim opera factum est, ut noster bene praeparatus inter externos, qui dicuntur Scholae Thomanae discipulos, recipi et in lectionibus b. MATHESII, b. HARRERI, et KRIGELII, itemque Excell. FISCHERI et S. V. ERNESTI, postea etiam b. LEISNERI liberalium artium studia cum fructu persequi posset. Hinc anno sexagesimo disciplina scholastica relicta Academiae nostrae nomen dedit, cuius a b. HVNDERT-MARCKIO, magistratum academicum tunc gerente, adscriptus. Inde relicta omnibus philosophiam omnem, imprimis physicam experimentis illustratam duce b. WINCKLERO, mathesin docente b. RVDOLPHO, historiam catholicam itemque rhetoricen, tradente S. V. ERNESTIO, theologiam naturalem explicante, S. R. CRYSIO et doctrinam morum, praelegente b. GELLERTO, cognoscere-



scere studuit. Cum vero in primis Medicinae studium tractandum sibi sumisset, singulas eius doctrinas assidua diligentia audiendis doctoribus academicis ita discere conatus est. Anatomicen omnem percipere coepit a b. HUNDETMARCKIO et b. IANCKIO, pathologiam, therapiam generalem et specialem, chirurgiam et medicinam forensam in scholis b. LUDWIGII addiscere studuit, cuius quoque exercitationes disputatorias et examinatorias non neglexit. Neque minus sedulus auditor affedit Magn. PLAZIO, facultatis nostrae Decano maxime spectabili, eidemque nunc Academiae septimum Rectori, pathologiam proponenti, itemque Excell. BOSIO, regni vegetabilis notitiam et anatomicen docenti atque disputandi examinandique exercitia regenti: cuius viri tantum erga se fauorem extitisse praedicat, ut pro innumeris iisque maximis beneficiis, praecipue pro copia exercendae artis, ab eo benignissime sibi facta, sempiternam pietatem et gratiam non possit non spondere. Profecit etiam noster ex institutione Excell. POERNERI, nunc Misenaerum rerum metallicarum consiliarii, cum ille chemiam, materiam medicam, et praxin clinicam exponeret. Porro Excell. GEHLERVM adiit, eiusque praecepta artis obstetriciae, physiologiae et chemiae cognita sibi reddidit. Denique etiam meis et demonstrationibus anatomicis atque operationibus chirurgicis, et institutis disputatoriis, nec non examinatoriis sedulo interfuit. Sicuti vero Candidatus praestantissimus in frequentandis his lectionibus omnibus assiduum studium, et indefessum proficiendi conatum nobis probavit: ita et alia diligentiae doctrinaeque specimina exhibuit, quibus haud exiguam laudem sibi pararet. Siquidem is iam anno sexagesimo in cathedra philosophica socius ac defensor disputationis adstitit Excell. HAASIO, cum ille

C

pro-



XVIII

proponendo ac defendendo *Zoologiae* specimine ius in hac academia docendi pro more consueto sibi acquireret. Anno septuagesimo examen primum praeclare sustinuit, et impetratis inde *Baccalaurei* honoribus lectiones pro licentia recitavit, atque in iis de Rheumatismis differuit. Biennio post alteri examini se subiecit, in quo cum profectus suos in arte salutari nobis probasset, a collegio nostro utique dignus iudicatus est, cui suprema in medicina dignitas rite tribueretur. Quod iudicium ut ratum fiat, proxime futuro die XIV Iulii Dissertationem inauguralem a se ipso conscriptam *de Apostematibus* Praeside Excell. BOSIO, collega amicissimo, a dissentientibus defendet. Quo peracto Ego pro ea, qua ad hunc actum clementissime ornatus sum, Procancelarii auctoritate, licentiam ipsi tribuam, Gradum Doctoris in arte medica consequendi, habita prius oratione *de communi vinculo omnium doctrinarum medicarum*. Ne quid vero solemnitatis huic actui inaugurali desit, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES ILLUSTRISSIMOS et PROCERES VTRIVSQVE REIPUBLICAE GRAVISSIMOS honorificam et amplam nobis praesentiam, COMMILITONES VERO GENEROSISSIMOS AC PRAENOBILISSIMOS iucundam nobis atque exoptabilem frequentiam, huic panegyri tribuendam, humanissime rogamus. Nos vero hoc insigne honoris ac benevolentiae munus tam grato libentique animo accepturos profitemur, ut omnem opportunitatem cupide anquiramus, qua nostrum vicissim studium et inseruendi promptitudinem qualicumque officio demonstramus.

P. P. Dominica IV. post festum Trinitatis MDCCLXXV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.